



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Diff. I. De Conditionatis disparatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

enim ita desipiat, ut cum intueretur lucentem Lunam, simul diceret, si luceret Luna, eam intuerer? Deus autem habet simul decreta absoluta circa omnia & singula creata, nihilque est, quod non intueatur ut existens absolute, vel absolute non existens.

RESPONDETUR. Inprimis ipsum Antecedens indigere sua moderatione; cum enim video Lunam, & dico, video Lunam lucentem, cur etiam simul dicere non possem, quod vera fuerit hæc conditionata, si luceret Luna, illuminaret, vel viderem illam? tunc ergo solum conditionata est stulta, & desipientium, conjuncta actui absolute, quando conditionata, virtualiter infert negationem status absolute: quia autem in Divino intellectu conjunctio notitiæ circa futuritionem conditionatam, non infert negationem futuritionis absolute; quando illa dari debet; fit, ut actus illi in Deo compati se possint. Rursus adhiberi posset doctrina ipsius Esparza, qui dicit stultum esse adungere cognitionem conditionatam cognitioni absolute jam præexistenti re & ratione; secus sentiendum si nulla absoluta cognitio præcesserit. Et sicut si præcessisset scientia visionis importune illi adungeretur scientia simplicis Intelligentiæ tanquam sequens; bene tamen præcedere potest; ita & in præsentia. Denique dici posset, quod re quidem sint illæ scientiæ simul in Deo, ratione autem sequuntur, de qua sequela ita discurrendum est, quasi in re non essent secum, quod in multis aliis contingit.

Plura de scientia hac infra solventur. Aliqua etiam dicta sunt in Logicis. Vide hanc materiam concernentia de Gratia D. 5. q. 3. d. 2.

QVÆSTIO II.

De aliquibus Conditionatis in particulari.

Agemus inprimis de Conditionatis disparatis; deinde conditionatis Actibus voluntatis Div. quos haberet Deus in alia rerum Serie.

DIFFICULTAS I.

De Conditionatis Disparatis.

PRÆMITTO 1. *Esse hæc duo distincta, si hoc esset, illud etiam esset; & quando hoc esset, etiam illud esset:* quod distincta sint. Ratio est, quia unum inquit de tempore, nempe posterius, statque in coexistentia temporali præcise, illud autem prius, non stat præcise in coexistentia temporali, sed attendit ad alia, talisque est conexio, licet libera cum alio. Consequenter aliud est, esse cum alio temporaneè, & aliud, propter aliud: nam esse propter aliud, quamvis liberè operans, dicit causam; esse autem quando aliud est, nullo modo id importat.

PRÆMITTO 2. *Conditionata connexa atten-*

dere ad ly si esset, & ad ly propter illud esset, liberè concurrens, immo ex hoc ipso fundamento dicuntur connexa, distinctaque à disparatis; conditionata autem disparata, attendunt ad Quando aliud, & ad Cum aliud. Conditionatorum connexorum exemplum est. Si ingressus fuerit Petrus atrium, negabit, ubi hypothesis ingressus, dicit aliquam occasionem, connexionem cum negatione, potestque illud si explicari per quia; licet non explicetur per Ergo: quia non habet immutabilem & eandem ubique verificationem. Secundi autem exemplum est, si Turca dormit, Petrus convertetur.

PRÆMITTO 3. *Illud Quando aliud, interdum habet rationem Propter quod;* ut si Deus faciat decretum, si dormiat Turca, contritionem haberet Petrus, & tunc non quidem præcise ratione conditionis disparatæ, sed propter circumstantiam decreti, & ex accidenti illud: Quando, & Cum hoc, transibit in vim Propter quod, eritque jam propositio quæ transibit in connexionem, supponendo quod fiat decretum contemperatum libertati.

PRÆMITTO 4. *Ly Quando aliud, vel Cum aliud, cum habet rationem merè disparatæ, nullo scilicet interveniente decreto, adhuc duplicem potest habere sensum: inprimis copulativum, v. g. & Turca dormiet, & Petrus leget, & tunc alterutra parte non posita, falsa erit propositio; nam conjunctæ propositionis verificatio, utrumque membrum requirit. 2. Potest habere sensum non attendentem ad copulationem, sed præcise ad temporaneam disparatorum coexistentiam respiciendo. Et de his in præsentia, procedit quæstio. Affirmativam tuentur, Suar. Fons. & post illos Ruiz. d. 78. Arriaga, cum certis limitationibus d. 21. f. 7. Negat Vasquez hic d. 67. c. 3. & 4. Lessius, Arrubal, Albertinus, probabiliusque reputat Falsolus, q. 14. Num. 252.*

PRÆMITTO 5. *Ly: Quando aliud, vel: Cum aliud, potest apponi duplicis generis propositionibus: inprimis propositionibus, quæ sunt aliàs objectum scientiæ simplicis intelligentiæ, vel visionis, ut si dicas, si homo erit rationalis, bos erit rugibilis; Vel: Si Turca osecitabit, Petrus sitiet, & tunc de sigillatim acceptis propositionibus non est difficultas, cum prima noscatur per scientiam intelligentiæ, secunda per scientiam visionis. Si autem copulativim accipiantur propositiones, pendebit resolutio ex dicendis. Rursus dictæ particulæ possunt apponi propositionibus, quæ alias sunt objectum scientiæ mediæ v. g. Si Petrus vocatus fuerit vocatione A convertetur, & Paulus si vocatus fuerit vocatione B convertetur. Quod sigillatim acceptæ, sint objectum scientiæ conditionatæ; constat ex dictis supra; sed an sint objectum si simul sumantur, decidendum venit. His præmissis*

DICENDUM 1. *Propositiones Conditionis disparatæ certo nosci à Deo. Præter Auctores citatos*

per d. 6. de Intelligentia Dei. Num. 109.

PROBATUR 1. Quæ habent determinatam veritatem, noscuntur à Deo utpote omnisçio. Tales sunt propositiones conditionis disparatæ, probatur, quia dormiente Turca, vel erit consensus Petri, vel non erit; alterutrum autem habet determinatam veritatem, & si est positio conversionis, non est negatio ejusdem, & è converso.

PROBATUR 2. Quia si propositiones conditionis disparatæ non noscerentur à Deo, id idèd esset, quia nulla illis invenitur connexio, sed merè coexistentia, hoc autem ipsum probat illa notitia, quia etiam illa coexistentia, est vera coexistentia, adeoque noscibilis, ab omnisçio intellectus.

PROBATUR 3. Noscuntur conditionata connexa à Deo; ergo & disconnexa; & certè si contingat, ut arguit Ruiz, eodem tempore Petrum disputare Romæ, & Franciscum Hispali orare, tunc determinatè verificatur coexistentia talis orationis cum tali disputatione; cur ergo prius ratione, pro statu conditionato, non verificabitur illa propositio.

OBJICIT 1. Ex Vasquez Fassolus; In talibus particulis, importat solam concomitantiam, & non importat aliquam causalitatem liberam, nec inter res disparatas præcisè ex se potest recipi talis connexio. Ergo talia disparata non noscuntur à Deo.

RESPONDETUR. Negando Conf. quia talis connexio non est necessaria ad verificationem omnium propositionum.

OBJICIT 2. Idem, si Petrus hic legeret, Paulus Romæ curreret, vel non curreret, non sunt contradictoriæ: quia in utraque affirmatur & negatur consequens, propter dependentiam ab antecedente, quod semper falsum est.

RESPONDETUR. Quod in his disparatis non affirmetur consequens propter dependentiam ab antecedente; hæc enim nulla est, hinc propter illam nec affirmatio, nec negatio verificatur; sed in illis sola coexistentia infertur, & tu non probas illam non sufficere, ut attingatur à scientia Dei.

OBJICIT 3. Multa disparata conditionata prædicuntur à Deo, sed illa non habent veritatem, nisi ex suppositione decreti, quale erat decretum de vincendo Rege Syriæ percussa terra; hæc autem quæ noscuntur post decretum, non spectant ad scientiam conditionatam.

RESPONDETUR. Ad quamnam scientiam notitia talium spectet, de hoc infra; nunc tantum dicimus, illa certò nosci à Deo. Deinde secundum præmissum quintum, falsum est, omnia disparata importare decretum absolutum de coexistentia illorum disparatorum.

OBJICITUR 4. Si possunt nosci certò conditionata disparata, sequitur dari duas contradi-

ctorias simul veras; quia sunt infinitæ circumstantiæ, in quibus Turca dormiente Petrus consentiret.

RESPONDETUR. Hoc ipso illas propositiones non fore contradictorias, si ratione diversarum circumstantiarum dormiente Turca consentiat Petrus, vel non consentiat.

OBJICITUR 5. Si noscerentur certò conditionata disparata, noscerentur etiam certò propositiones sub conditione impossibili, v. g. Si equus essentialiter esset avis, Petrus disputaret; videtur autem hoc concedere, esse absurdum.

RESPONDETUR. Duplicia esse conditionata impossibilia, quædam in quibus ponitur suppositio impossibilis tollens seipsam, taliter suas notitias non format Deus: quia etiam intellectus creatus dum eas format, errat; Deus autem in suis notitiis errare non potest. Si autem procedat notitia de impossibili in suppositione non tollente seipsam, adhuc duplicia sunt disparata impossibilia, quædam quæ sunt ad investigandam naturam rei ordinata, quale est v. g. Si per impossibile homo esset rugibilis, rugiret; & alia sunt impossibilia, quæ dum format etiam intellectus creatus, meretur exprobrationem internam, quod indignè cogitet naturâ intellectualem, v. g. Si esset Chimæra, quot dentes haberet; hujus generis impossibilia non noscit Deus, quia in suis notitiis nullam reprehensionem pati potest; sed prioris generis impossibilia bene noscere potest, & si habeant objectum in materia necessaria, attingentur à scientia simplicis intelligentiæ, si in materia libera, à quânam scientiâ attingantur, infra decidetur.

RESPONDET aliter Arriaga, quod non videat disparitatem, sed addit non posse sibi verum apparere in Deo dari eorum scientiam. Tum, quia talis scientia videtur esse planè impertinens: ad quid enim nosceret Deus, quid Chimæra esset factura sub conditione impossibili? cum id neque ad providentiam, neque ad gubernationem creaturarum conducatur. Tum, quia multiplicarentur in Deo scientiæ, ita ut infinites plura deberet cognoscere circa impossibilia. Tum, quia sic magis odiosa redditur scientia Conditionalium. *Hec Responsio*

NON Satisfacit. Tum, quia si rationes æque militant pro antecedente ac pro consequente, quod falsum esse supponitur, hoc ipso nec antecedens probant: probant enim multum, adeoque nihil. Tum, quia mensura interno sciendi quæ conditionata noscat Deus, non est utilitas ad providendum & gubernandum creaturas: quia licet notitia Conditionalium postea in statum absolutum deducendorum apprimè conducatur, non tamen eorum quæ nusquam omninò futura sunt: non enim pressè dicitur esse Providentia circa possibilia vel non existura; & tamen etiam talia conditionata noscuntur. Tum, quia in sciendo non est attendendum; An scientia

R. P.
H. M. LOD
ianowski
Tom. I. et Z.
D. VI
S

entia ad aliquid conducere possit, sed in ea fiksi potest, attendendo præcise, ad solum scire. Tum, quia si infinitum unum non est majus altero, non noscet Deus plus de impossibilibus, quam de possibilibus; si autem unum infinitum potest esse majus altero, sicut ipsa impossibilia sunt plura; ita & notitia de illis, erit tanquam de pluribus. Tum, quia per hoc non conciliatur sententiæ conditionatæ invidia, si consequenter procedat.

DICENDUM 2. *Conditionata disparata non noscuntur per scientiam, quæ sit formaliter conditionalis.*

PROBATUR 1. Quod objectum non est formaliter conditionale, non potest nosci per scientiam formaliter conditionalem; quia inter scientiam & objectum debet esse proportio, præcipue cum scientia specificetur ab objecto; sed objectum conditionis disparatæ non est objectum formaliter conditionale, ut subsumitur; Probatutque; Objectum formaliter conditionale, non habet particulam Si, supponentem pro solo: Quando, sed supponentem pro aliquo modo, Quia, ut dixi in Præmissis; jam autem in conditionatis disparatis, particula Si, supponit pro Quando, vel pro: Cum alio. Hoc ipsum ulterius sic proponitur. Datur distinctio inter particulam Si supponentem pro: Quando, & inter particulam Si supponentem pro: Quia: Ergo erit etiam distinctio inter objecta, in quibus ly Si supponit pro: Quando, & in quibus ly Si supponit pro: Quia: Ergo & scientiæ attendentes ad diversum illud; Si, erunt distinctæ; cum specificentur & distinguantur secundum objecta.

PROBATUR 2. In creatis hæc propositiones: Quando faceret hic, faceret & alius. Item, si haberet hoc principium, operaretur, sunt distinctæ specie: Ergo etiam & in Divinis; de quibus proportionate, cæteris paribus, ad creata discutimus, saltem formaliter, erunt distinctæ.

PROBATUR 3. Supponamus per impossibile tolli omnes condiciones habentes vim indifferenter causandi, hoc ipso tollitur etiam scientia conditionata; nam sublato objecto tollitur notitia: & tamen sublatis conditionibus indifferenter causantibus, non tolluntur disparata; consequenter nec tollitur eorum scientia; Ergo apparet non ab eadem formaliter scientiâ, talia attingi.

RESPONDEBIS. Eandem scientiam utrumque illud membrum attingere.

CONTRA. Una quidem re, sed non una formaliter attingit illa objecta scientia, ad eum planum modum, quo eadem in re scientia attingit possibilia, & exercitæ aliquando existentia, sed non eadem formaliter, quod ipsum ulterius in hoc fundatur; Quia scientiæ in Deo distinguuntur, non quidem secundum entitatem objecti, sed secundum modum aliter & aliter ha-

bentis se objecti; alius est autem modus conditionis disparatæ, & alius connexæ.

DIFFICULTAS II.

An Deus noscat conditionatos suæ voluntatis actus?

Sensus quæstionis est: An Dominus Deus noscat in aliam mundi serie, quot futuri fuissent homines? omne ne albi, an nigri? In hoc puncto divisi sunt Nostri, aliqui negant, ut Mol. & Vasq. 1. p. d. 67. c. 4. Herize, d. 7. Num. 57. sed ferme ex diversis principiis. Affirmat Sua. Fonf. Ruiz, d. 77. Amicus d. 21. S. 4. Falsolus q. 14. a. num. 447.

DICENDUM est. *Deum cognoscere conditionatos suæ voluntatis actus.*

PROBATUR 1. Vel potuisset Deus non prædestinare S. Petrum, vel non poruisset non prædestinare? Si secundum, ergo non debet illi suam prædestinationem utpote necessitato Deo; Si primum; quæro, vel noscit Deus, quod potuerit illum non prædestinare, vel non noscit? Si non noscit; Ergo non noscit quid possit; Ergo Deus non est: Si autem noscit; Ergo noscit conditionatum suum actum quem haberet: quia noscere quod possit non prædestinare, est noscere quod possit habere actum, quo dicat: si foret alia rerum series, non prædestinasset Petrum.

PROBATUR 2. Cognoscit Deus conditionatos nostræ voluntatis actus; Ergo & suos; Si enim nostri actus habent determinatam scibilitatem, cur non habebunt Divini? immo respectu conditionatorum nunquam futurorum, debet dari decretum conditionatum ex parte actus, ut salvetur libertas; quæ conditionata, quia noscit Deus, hoc ipso debet noscere etiam illa sua decreta conditionata, requisita ad illa futura conditionata.

PROBAT 3. Ruiz ex absurdo. Quia darentur aliqua, respectu quorum deberet Deus dicere: Nescio; & tamen deberet illa scire: deberet enim dicere se nescire: An esset Abel habiturus filium? hoc ipso enim sciret volitionem conditionatam concurrenti; interrogatus etiam. An ille Filius foret prædestinatus? deberet dicere: Nescio; immo si non novit conditionatos suæ voluntatis actus, qui noverat Tyriorum conversionem? Unde hujus scientiæ utilitas est, nosse omne noscibile. Immo si oppositi ad hoc reflecterent, Deum ex suâ immutabilitate deponere, ut pro nulla possibili serie, accrescat illi nova notitia, nova volitio, ex parte illius; non facile negarent illum non noscere conditionatos suæ voluntatis actus, cum noscat quidquid in se est, noscatque se, & ille ipsemet est illa omnia, salvis extrinsecis connotatis.

Ad solvendas Objectiones

NOTO 1. Quod cum hic agatur de ipsis conditionis